

Relatio dioecesana Gurcensis data die 30. mensis Decembris anno 1923.

Relatio, huic relationi antecedens, danda erat anno 1918. Sed quod propter res bellicas et perturbationes civiles post bellum factas eo anno dari non potuit, data est die 22. mensis Martii anno 1922. Eo anno Ordinarius Gurcensis tempore congressus Eucharistici in Urbe celebrati limina Apostolorum visitavit. Cum inter primam et secundam relationem vix unus et dimidius annus interesset, pauca solummodo mutata sunt.

CAPUT I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. *Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.*

Idem.

2. *Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro Conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro Concilio provinciali, pro Conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.*

Idem.

3. *Dicat praeterea:*

a) *quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;*

b) *quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;*

c) *quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;*

d) *qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum Seminarium;*

e) *utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;*

f) *in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;*

g) *utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;*

h) *utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.*

a) Idem.

b) Anno 1922 vicariatus Tarvisiensis in regno Italico situs seiunctus est a dioecesi Gurcensi et facta est Administratio Apostolica. Administrator factus est archiepiscopus Goritiensis. Mense Novembri anni 1923 episcopi Lavantinus et Labacensis nuntiaverunt Ordinario Gurcensi, ipsos a nuntio apostolico Belgradensi certiores factos esse, vicariatum Unterdrauburg a dioecesi Gurcensi separari et quidem 1. die mensis Decembris; duas paroecias attributas esse episcopo Labacensi, alias episcopo Lavantino quasi administratoribus apostolicis. Quod factum est. Sed ad Ordinarium Gurcensem adhuc de hac re decretum missum non est.

c) Incolae sunt 380.000. Praecipua oppida Klagenfurt et Villach. Catholici sunt c. 355.000, acatholici circiter 24.200 et quidem protestantes 23.700, iudaici 250, aliae sectae 200.

d) Sacerdotes saeculares 372, clerici seminarium maioris 38, alumni seminarium minoris 135.

e) Idem.

f) Dioecesis divisa est in 23 decanatus. Parochiae sunt 323. Alias idem.

CAPUT II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.

4. *An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae Ecclesiae propria est, sarta tectaque sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.*

Nihil immutatum est.

5. *An institutum sit penes curiam Consilium administrationis et quibusnam constet: et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.*

Nihil immutatum est.

6. *An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.*

Nihil immutatum est.

7. *An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia; can. 1527 de abstinendo ab actibus ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.*

Nihil immutatum est.

8. *An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servant quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.*

Nihil immutatum est.

9. *In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542: et si non, quae remedia adhibita. Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.*

Nihil immutatum est.

10. *Circa decimarum et primitiarum solutionem servanturne laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.*

Nihil immutatum est.

11. *Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis servanturne praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineantne a vexatoria et odiosa requisitione.*

Nihil immutatum est.

12. *Circa missarum stipem quomodo servantur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis. Nihil immutatum est.*

13. *An inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali habeantur iuxta cann. 1296, 1522. Cautum ne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis mobilia et suppellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302. Nihil immutatum est.*

14. *An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum; et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur: catalogine confecti sint; an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380. Nihil immutatum est.*

15. *An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta, sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383. Nihil immutatum est.*

CAPUT III.

De fide et cultu divino.

16. *Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiose aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quatenam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa. Adsitne Consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat. An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918. Nihil immutatum est.*

17. *Utrum divinus cultus libere exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quatenam ratio suppetat ad ea amovenda, et num adhibeatur. Nihil immutatum est.*

18. *An Ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint, et canonicae de his leges servari possint, et servantur. Cann. 1205 seqq. Nihil immutatum est.*

19. *Utrum in cultu divino, in Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione; nec non in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad*

linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae servantur. An in his, et quaenam, irreperint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerantur, et quanam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur. Arceanturne semper a domo Dei profani conventus, et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

Nihil immutatum est.

20. *Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat. Nihil immutatum est.*

21. *An generatim ecclesiae mundaе sint, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae. Adsintne egentes, squalidae, fatiscentes, et an et quid agatur ut reficiantur. Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.*

Nihil immutatum est.

22. *An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.*

Nihil immutatum est.

23. *An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant: et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266: quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam Ssmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.*

Nihil immutatum est.

CAPUT IV.

De iis quae ad Ordinarium pertinent.

24. *Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraticum exigat iuxta can. 1504: an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506: utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.*

Nihil immutatum est.

25. *An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.*

Nihil immutatum est.

26. *An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis: et res bene gestae fuerint iuxta cann. 432, 433.*

Nihil immutatum est.

27. *Quomodo residentiae legi satisficiat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter servantur. Can. 336.*

Nihil immutatum est.

28. *Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventur in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.*

Nihil immutatum est.

29. *Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis*

a) *qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;*

b) *qui saltem integrum theologiae curriculum in Seminario non peregerint. Can. 972 § 1. An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.*

Nihil immutatum est.

30. *An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservatos.*

Nihil immutatum est.

31. *Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.*

Nihil immutatum est.

32. *An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.*

Nihil immutatum est.

33. *An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.*

Nihil immutatum est.

34. *Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.*

Celebrata est a die 3. – 6. Septembris synodus dioecesana, de qua, si decreta typis expressa fuerint, Ordinarius Gurcensis sacram Congregationem informabit.

35. *Si sit Metropolitanus aut Conferentiarum episcopalium Praeses: an et quando Concilium et quando Conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an Concilio provinciali, et Conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.*

Nihil immutatum est.

36. *Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio. sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.*

Nihil immutatum est.

CAPUT V.

De Curia dioecesana.

37. *Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examineribus, parochis consultoribus, censoribus librorum, aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.*

Nihil immutatum est.

38. *De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.*

Nihil immutatum est.

39. *Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.*

Nihil immutatum est.

CAPUT VI.

De Seminario.

40. *Si dioecesis Seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu: et ubinam educentur. Can. 1353.*

Nihil immutatum est.

41. *Si Seminarium adsit, referatur enucleate:*

- a) de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;
- b) de statu aedium, et rusticationis domus;
- c) de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;
- d) de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.

Nihil immutatum est.

42. *Distinctum ne sit Seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2. Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat Seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in Seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.*

Nihil immutatum est.

43. *An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendo aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.*

Nihil immutatum est.

44. *An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria Urbis Collegia, vel Universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.*

Nihil immutatum est.

CAPUT VII.

De clero generatim.

45. *An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.*

Conditio cleri melior facta est, cum dotatio publica augetur.

46. *An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis: an etiam quo poenitentes recipiantur.*

Nihil immutatum est.

47. *Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent: can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parochi, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 188-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.*

Nihil immutatum est.

48. *An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus: an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent: an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedeceat sacerdotem in iis partem habere: an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae: an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint: et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.*

Nihil immutatum est.

49. *An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem: et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas: et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.*

Nihil immutatum est.

50. *An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit: an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servent leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas: et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.*

Nihil immutatum est.

51. *An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant, vel ea moderentur: et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.*

Nihil immutatum est.

52. *An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent: qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant: qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214: et quid fiat ad horum malorum remedium.*

Nihil immutatum est.

53. *An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit: et casus graviores referat.*

Suspensio ad tempus praefinitum: duo.

c) privatio beneficii vel officii cum pensione: unus.

d) prohibitio commorandi in certo loco: unus.

CAPUT VIII.

De Capitulis.

54. *Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventurne circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.*

Nihil immutatum est.

55. *Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentiarum; et serventurne ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeanturne alii beneficiati minores, et quot.*

Nihil immutatum est.

56. *Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et servantur regulae can. 395.*
Nihil immutatum est.

57. *Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.*
Nihil immutatum est.

58. *Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.*
Nihil immutatum est.

59. *Quot adsint canonici ad honorem: et servantur de ipsis regulae can. 406.*
Nihil immutatum est.

60. *Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini: servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.*
Nihil immutatum est.

61. *Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.*
Nihil immutatum est.

62. *Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communiae cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.*
Nihil immutatum est.

CAPUT IX.

De Vicariis foraneis et parochis.

63. *Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.*
Nihil immutatum est.

64. *An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae: et servetne lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.*
Nihil immutatum est.

65. *An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum servantur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaue sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.*
Nihil immutatum est.

66. *An et quot adsint patronatui obnoxiae: an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451: sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.*

Patronatui obnoxiae sunt parochiae: 298 et quidem:

Patronatui episcopi Gurcensis 57
patronatui episcopi Lavantini 9
patronatui capituli cathedralis 17
patronatui capituli Frisac. 1
patronatui capituli Maria Saal 1
patronatui capituli Straßburg 3
patronatui capituli in Völkermarkt 1
patronatui parochi in Sagritz 1
patronatui parochi in Gmünd 2
patronatui parochi in Berg 1
patronatui praepositi Unterdrauburg 1
patronatui monasterii St. Pauli 10
patronatui publico 39
patronatui fundi religionis 71
patronatui dominiorum 82
patronatui civitatis 2

67. *An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.*

Nihil immutatum est.

68. *Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.*

Nihil immutatum est.

69. *An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepant; et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.*

Nihil immutatum est.

70. *Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774: et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorum ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.*

Nihil immutatum est.

71. *Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865, infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus*

SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragendam, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subrepant.
Nihil immutatum est.

72. *Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.*
Nihil immutatum est.

73. *Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.*
Nihil immutatum est.

74. *Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit: can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communionem et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.*
Nihil immutatum est.

75. *Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.*
Nihil immutatum est.

76. *An vicarii cooperatores alique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.*
Nihil immutatum est.

CAPUT X.

De religiosis.

77. *An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabiliora adnotanda habeat.*
Nihil immutatum est.

78. *Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure; quae sit in utroque casu eorum fama; quaenam pro dioecesi utilitas; an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334; quo habitu incedant.*
Nihil immutatum est.

79. *Si quaestuant adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicas praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconueniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.*
Nihil immutatum est.

80. *Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.*

Nihil immutatum est.

81. *Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.*

Nihil immutatum est.

82. *Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exclaustrati, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.*

Rev. P. Ivens Benedicti de monasterio Tanzenberg dimissus in ordinem iterum admissus est et Romae degit in monasterio ordinis sui.

83. *De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:*

a) *an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;*

b) *si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;*

c) *quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;*

d) *si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis observantur, et an aliquid habeatur deplorandum.*

Nihil immutatum est.

CAPUT XI.

De populo fidei.

84. *Dicatur quinam sint generatim populi mores: quatenus vita christiana privata in familiis: quatenus publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.*

Nihil immutatum est.

85. *Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.*

Nihil immutatum est.

86. *Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; cann. 1252, 1254 circa abstinendam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenis fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenis; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici*

dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contigat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.

Nihil immutatum est.

87. Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irreperint; quid fiat ut haec mala removeantur.

Nihil immutatum est.

88. Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quaenam exinde detrimenta religioni proveniant: an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.

Nihil immutatum est.

89. De christiana educatione proles: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.

Nihil immutatum est.

90. De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.

Nihil immutatum est.

91. De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia operapost-scholaria, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.

Nihil immutatum est.

92. De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque, piae uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.

Congregationes Marianae pro virginibus sunt: 75. Uniones pro iuvenibus catholicis: 30.

Uniones matrum familiarum: 131.

93. An hae associationes servent omnes praescripta: can. 690 de subiectione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.

Nihil immutatum est.

94. An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.

Sunt inde ab anno 1915 conditae tales uniones: 128. Numerus adscriptarum mulierum: 12.223.

95. *An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.*

Nihil immutatum est.

96. *An et qua diffusionem ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint: quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.*

Nihil immutatum est.

97. *An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur: quid fiat ad occurrendum huic malo.*

Nihil immutatum est.

98. *An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.*

Nihil immutatum est.

99. *Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et Ecclesiae libertati pro viribus consulant.*

Nihil immutatum est.

CAPUT XII.

Iudicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. *Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.*

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quaenam de eo censeantur causae.

Nihil novi dicendum.

Clagenfurti die 30. Decembris anno 1923.

+ Adam
Episcopus Gurcensis